



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Bonae, Eminentissimi S. R. E. Titulo S. Bernardi
Ad Thermas Cardinalis Presbyteri Opera Quotquot
hactenùs separatim edita fuerê Omnia**

Bona, Giovanni

Antverpiae, 1677

§. 2. De rectitudine intentionis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10805

crificii fructus primò & principaliter illi applicare, pro quo celebrare tenetur ratione beneficii, eleëmofinæ, promissionis, aut specialis obligationis. Tum sine ejus præjudicio, & in quantum licitè potest, aliis item applicare poterit sibi charitate aut aliâ quavis ratione peculiariter conjunctis, seu commendatis, suam intentionem intentioni Christi summi Sacerdotis perfectè conformando & submittendo: sic enim poterit tutâ conscientia ex infinito & nunquam exhauriendo thesauro meritorum & satisfactionum Christi, cujus dispensator est constitutus, partem aliquam in plures derivare, quæ ex summa & ineffabili Dei misericordia non nisi uberissima sperari potest.

CAPUT II.

De requisitis in Sacerdote ad ritè & piè celebrandum.

S. I.

De puritate vitæ.

Quod olim David de Templi ædificatione, id sibi Sacerdos de Divini Sacrificii oblatione, & sumptione dictum putet: *Opus grande est, neque enim homini preparatur habitatio, sed Deo.* Ad Deum igitur accessurus, ut ipsius Dei unigenitum Filium incruentè sacrificet, cum timore & tremore tantum opus aggrediatur, probetque seipsum, & præviis dispositionibus præparet ad uberrimos Sacrificii fructus percipiendos. Sunt autem tres præcipuæ dispositiones, quæ in Sacerdote requiruntur, puritas vitæ, reëctitudo intentionis, & actualis devotio. Puritas vitæ in duobus consistit: Primùm ut sit mundus ab omni peccato, non solum mortali, sed etiam veniali deliberato & scienter admissò, atque ab omni affectu erga ipsa peccata venialia. Levia siquidem peccata omninò vitare nequimus; at ipsorum affectum penitè ex animo evellere & possumus & debemus; adeò ut nulli voluntate & affectu inhæreamus. Alterum ut conetur omni studio esse purus & sanctus, & ornatus omni virtute, sibi que propterea illud peculiariter dictum existimet: *Qui justus est, justificetur adhuc, & Sanctus sanctificetur*

adhuc. Rectè Chrysostomus: *Quo non oportet esse puriorem tali fruente Sacrificio? Quo solaris radio non splendidiorem manum carnem hanc dividentem? os quod igne spirituali repletur: linguam quæ tremendo nimis Sanguine rubescit? Cogita quali sis insignitus honore, quali mens à fruendis: quod Angeli videntes horrescunt, neque liberè audent intruere, propter emicantem inde splendorem, hoc nos pascimur, huic nos unimur, & facti sumus unum Christi corpus & una caro.* Docet S. Thomas, proprium effectum hujus Sacramenti esse, hominem in Deum transformare, & ipsi per amorem assimilare. Quæ ergo fide debet esse imbutus, quæ spe roboratus, quæ succensus charitate, quæ præditus innocentia, qui talem victimam quotidie immolat, Deumque suscipit, & in ipsum mysticè transformatur? Quod si dispositio, ut aiunt Philosophi, ejusdem rationis esse debet cum forma, ad quam disponit: divina procul dubio dispositio necessaria erit, ut recipiatur cibus divinus; vita sic instituta, ut divina sit & superhumana, & mundanæ atque carnali prorsus opposita. Qui sic vivit, secedit à creaturis, & soli Deo adhæret: solus Deus in intellectu ejus est, solus in voluntate, solus in colloquio, solus in operibus. Nihil in illo, quod sapiat mundum, quod carnem redoleat & sensum: seipsum odio habet, corpus suum jugi mortificatione crucifigit, divitias spernit, honores fugit, amat neciri, & pro nihilo reputari. Discutiat ergo vitam suam Sacerdos, & si talem nequaquam esse, sed adhuc terrenam deprehenderit, in divinam transferre satagat sedulâ virtutum exercitatione. Huc etiam pertinet externa corporis & vestium mundities, gravitas & maturitas, quæ Presbyterum; hoc est, senio-rem deceat; talisque compositio totius hominis, ut omnes ex solo ipsius aspectu ædificentur.

S. II.

De reëctitudine intentionis.

Secunda Sacerdotis dispositio ad celebrandum, est reëctitudo intentionis, virtus enim laudem, vel vitii notam à fine, quem intendimus, actiones nostræ sortiuntur. Intentio autem ut recta sit, non solum excludit omnem finem malum, & alienum ab ipsa Sacrificii institutione, sed etiam vetat ad ipsum accedere ex sola consuetudine, sine actuali tanti mysterii consideratione, & præviâ præparatione. Sacerdos itaque cele-

celebraturus, diligenter attendat, quò sine moveatur, an propter damnable lucrum, aut ali- quòd temporale motivum, non caelestem Panem, sed terrenum querens; non animæ salutem, sed corporis enolumentum: ne Sacrificio pro mundi vita instituto, in sui perniciem abutatur. Finem sibi præfigat excelsum, caelestem, supernaturalem, qui Dei gloriam respiciat, propriam salutem & perfectionem, ac proximi utilitatem. Huc dirigat suam intentionem, ut per hanc victimam salutarem purgetur à peccatis, à languoribus animæ curetur, & ab ingruentibus malis protegatur: ut ab aliqua tentatione, & adversitate eripiatur: ut aliquod beneficium impetret, & de perceptis gratias agat: ut virtutes, augmentum gratiæ, & donum perseverantiæ obtineat; ut pro variis proximorum necessitatibus, & pro requie defunctorum Deum interpellat; & universam Ecclesiam ei commendet: ut cultum patriæ Deo exhibeat, Sanctisque honorem & venerationem: ut Christi Passionem & mortem commemoret, sicut ipse præcipit, dicens: *Hoc facite in mei commemorationem*: ut emendatus ab omni inquinamento carnis & spiritus, seipsum Deo conjugat, & inseparabiliter uniat, cum ipso consummatus in unum. Ex his & aliis hujusmodi motivis intentionem ante Missam dirigere oportet juxtam formulam infra tradendam. Non est autem hoc loco præmittendum, quosdam eximie sanctitatis & doctrinæ viros semper memores incertitudinis vitæ, quotidie hæc intentione Corpus & Sanguinem Christi in Missæ Sacrificio suscepisse, ut si eos contingeret eâ die mori, Viaticum illis foret ad vitam æternam: Multum verò hoc proderit Sacerdoti ad mortis & æternitatis memoriam sedulo renovandum.

S. I I I.

De actuali devotione.

Tertia dispositio in actuali devotione consistit, quam ut in se excitet Sacerdos, fatigare debet primò, ut quidquid de hoc ineffabili mysterio, caelestiumque charismatum thesauris in eo reconditis, Sacrosancta docet Ecclesia, firmâ fide apprehendat cum sublimissima eorundem æstimatione. Verbis enim consecrationis ab eo prolatis, panis in Corpus, & vinum in Sanguinem Christi transubstantiatur, atque ibi adest sub specierum velamine illud purissi-

imum Christi Corpus; quod pro salute nostra Cruci affixum fuit: adest Sanguis, qui pro nobis effusus est; adest anima gloriosa, in qua sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei: adest Christus verus Deus & verus homo, mirabilis in majestate sua, qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem. Necessaria secundò est ad excitandam devotionem humilitas, quæ præ cæteris virtutibus in hujus Sacramenti institutione maximè enituit, Christus enim cùm in forma Dei esset, exinanivit semetipsum, & sub exiguis speciebus panis & vini, Corpus suum & Sanguinem, atque Divinitatem conclusit, seipsum exponens sceleratorum hominum injuriis, qui pleni immunditiis ad ipsum accedere, eumque pollutis manibus contrectare præsumunt. Par igitur est, Sacerdotem tantam humilitatem imitari, & in suum nihilum resiliere, ac nihil de se præsumere. Sola humilitas est, quæ dignè nos præparat ad tantum hospitem suscipiendum. Nulla nostra dispositio, nulla industria, nulla virtus; sed sola Dei gratia nos dignos reddit: quare nostram debemus indignitatem agnoscere, & soli divinæ misericordiæ inniti. Tertio, quia Christus hujus mensæ delicias acerbissimâ suâ Passione nobis promeruit, sanctos Sacerdotes legimus ignem devotionis in se solitos succendere, jejuniis, flagellationibus, ciliciis, & aliis hujusmodi cruciatibus; quos imitari & nos debemus, Agno pro nobis occiso nosmetipsos immolantes, silentio, solitudine, abstinentiâ, sensum custodiâ, non omissis exterioribus castigationibus, juxta cujusque vires & conditionem. Multum denique prodest ad devotionem ingens fames, fervens desiderium, atque ardentissimus amor hujus Angelici Panis, ad quem sumendum nos amantissimè invitat Dominus, dicens: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Quod si desit hoc desiderium, illud saltem desiderare, & à Domino petere debemus ferventissimis amoris actibus; *desiderium enim pauperum exaudiet, & animam esurientem satiabit bonis.*